

RŌMULUS ET SABĪNAE

XIII

RŌMULUS erat Martis fīlius. Mars erat deus belli et armōrum. Mīlitēs Rŏmānī Martem adōrābant et in Martis āris victimās mactābant. Rŏmulus igitur mīlitēs et arma vehementer amābat. Urbis Rŏmae prīmus rex erat. Sed virī solum urbem habitābant ; neque uxōrēs neque sorōrēs habēbant. Itaque Rŏmulus tōtum populum convocāvit, et “ O cīvēs,” inquit, “ nullās fēminās habēmus, sed Sabīnī civitātem finitimam habitant. Sabīnī fēminās multās et formōsās habent. Sabīnōs igitur cum fēminīs ad lūdōs invītābimus, et virginēs raptābimus.” Rŏmānī igitur Sabīnōs ad lūdōs magnōs invītāvērunt. Pax erat inter Rŏmānōs et Sabīnōs. Itaque Sabīnī ad lūdōs Rŏmānōrum libenter properāvērunt. Nec scūta nec gladiōs nec hastās apportāvērunt. Cum Sabīnīs virginēs multae et formōsae properāvērunt. Sabīnī lūdōs Rŏmānōrum spectāvērunt. In mediīs lūdīs Rŏmānī magnā vōce subitō clāmāvērunt, et ecce !

virginēs Sabīnās raptāvērunt et ad casās portāvērunt. Frustrā mātres lacrimāvērunt, frustrā virōs in arma incitāvērunt. Rōmānī scūta et gladiōs et hastās habēbant ; Sabīnīs nec scūta nec gladii nec hastae fuērunt.

XIV

Maestī igitur et irātī Sabīnī ad terram Sabīnam properāvērunt. Per tōtam hiemem ibi manēbant et arma dīligerter parābant. Via est longa inter Rōmam et terram Sabīnam. Sed tandem Sabīnī, iam armātī, ante portās urbis Rōmae stābant. “ O Rōmānī,” inquiunt, “ prō filiābus nostrīs, prō sorōribus nostrīs fortiter pugnābimus.” Deinde Sabīnae ē casīs Rōmānōrum passīs capillīs evolāvērunt ; parvulōs portāvērunt et patribus frātribusque monstrāvērunt. Patrēs frātrēsque suōs multīs lacrimīs orāvērunt. “ Nunc,” inquiunt, “ in casīs Rōmānīs laetae et placidae habitāmus ; liberōs cārōs habēmus et vehementer amāmus ; et Sabīnōs et Rōmānōs amāmus. Sī Rōmānī cum Sabīnīs pugnābunt, Rōmānī Sabīnōs, Sabīnī Rōmānōs necābunt. Tum Sabīnae nec virōs nec patrēs nec frātrēs habēbunt. O patrēs, valēte ! nōn iam Sabīnae sed Rōmānae semper erimus filiae vestrae.”